

Martinae, sed de *Heraclio juniore*, *Constantino* dicto, qui quum anno 617. *Consul* renunciatus fuisset, *Consulatum* quoque xvii. anno 634. vere gesserit, oportet. ex quo etiam consequitur, verba hæc, quæ post hujus Constantini *Consulatum* subjunguntur: *sed & Heraclio felicissimo Cesare item filio ejus anno tertio*, de *Heraclio filio Heraclii senioris*, *Heracleona* dicto, ex *Martina* suscepto, uti *Cangius* in *Familiis Byzantinis*, & *Pagius* num. 21. ex *Nicephoro* autumant, esse intelligenda, non de *Heraclio ipsius Heraclii junioris*, *Constantini* dicti, filio, quem admodum ipsa *subscriptionis Pontificiæ* series indigitat; ubi, *sed & Heraclio felicissimo Cesare item filio ejus* (id est, ejusdem *Heraclii Augusti*;) *anno tertio*, legitur. *Pagius* ad ann. 630. num. 16. de *Heraclio* quidem *Cesare*, *Martinae* filio idem ipsum nobiscum sentit: non tamen de *Constantino*. Ibi enim contendit sermonem esse de *Constantino* *Martinae* filio, quem ait ex *Nicephoro* anno 630. ab *Heraclio* *Augusto* patre, *Consulem* fuisse creatum. „ *Quoad Constantinum*, *inquit*, *Heracleonæ* „ *fratrem*, ex *Martina* etiam genitum, is quidem *Cæsar* fuit, ut supra suo loco ostendi, sed quum nunquam *Augusteam* dignitatem obtinuerit, *Consul* etiam „ *nunquam* fuit. Quare quum *Nicephorus* indicet, se lo- „ *qui* de *Constantino* filio *Heraclii Augusti*, & *Eudocia*, „ *manifeste* fallitur, quum is anno 617. *Consul* re- „ *nunciatus* fuerit „. Atqui *Constantinus* *Martinae* filius quum anno *Heraclii* v. *Christi* 615. natus sit; anno 634. quo *scriptio Honorii Papæ* data est, annum ætatis *undeviginti* egisset, non *xxii*. uti in *subscriptione* dicitur, *atque Constantino filio ipsius anno xxii*. ubi *Constantinus* alter, *Eudocia* filius, *Junior Heraclius* dictus, utpote anno *Chr.* 612. natus, recte anno 634. *perhibetur* egisse annum *xxii*.